

mus quod contritio secundum se, et secundum suam substantiam nullo modo est ab habitu gratiæ effective; ut formata autem quantum ad ipsam formationem est effective ab habitu gratiæ; quoad substantiam ergo est a libero arbitrio, ut dicit S. Thomas, sed non a libero arbitrio nudo, sed ut adjuto per auxilium gratiæ. Hoc enim est valde familiare in D. Thoma, quando dicit procedere aliquam dispositionem a libero arbitrio, ibi non excludere auxilium, sed donum habituale: ab auxilio ergo, et libero arbitrio procedit contritio in illo ultimo instanti, et ut sic est dispositio, respicitque pro effectu ipsam remissionem culpæ, imo et physice in quodam genere expellit peccatum, ut dicetur postea.

XV. Eadem autem contritio quantum ad formalitatem aliam, scilicet, ut est formata quæ est perfectio quædam contritionis, seu modus aliquis illius secundum quod ex conjunctione ad gratiam perficitur, eique subordinatur, et ad ejus finem ordinatur, sic dimanat a gratia, et effective est ab illa, et sic subsequitur gratiam, et est posterior illa. Non est autem inconveniens, quod idem in eodem instanti procedat a diversis causis efficientibus secundum diversas rationes, seu respectus, sicut homo procedit ab homine, et a sole; et actus virtutis inferioris imperat a superiori, et ab intellectu, ut moto a voluntate per actum imperii. Et sicut ipsemet actus contritionis, quando post existentem gratiam elicitur a virtute pœnitentiæ, et imperatur a charitate, sic loco virtutis pœnitentiæ procedit ab auxilio in instanti justificationis, et formatur a gratia, et charitate. Et hoc ideo, quia procedit ut dispositio, et non ut mere actus consequens, vel concomitans, et sic in genere dispositionis antecedit habitum pœnitentiæ, et consequen-

ter in hac consideratione non procedit ab ipso, et tamen in hac consideratione habet causam efficientem; ergo ab auxilio pendet effective, non ab habitu.

XVI. Restat ergo videre, an contritio prout correspondet auxilio, et præcedit gratiam, suamque etiam formationem, habeat valorem talem, quod sit satisfactio saltem imperfecta; an ut subsequitur gratiam, vel non habeat.

## SIT UNICA CONCLUSIO.

XVII. In sententia S. Thomæ certum est, quod contritio satisfacit ex justitia imperfecta pro peccato, ita quod non solum conatur ad satisfactionem ex parte modi, quem servat, sed etiam de facto satisfacit. Valor autem hujus satisfactionis probabile est, quod conveniat ipsi contritioni ex auxilio divino, ut antecedit gratiam, et non solum contritioni, ut formatæ per gratiam, sed ab illa gratia habet acceptionem, et supplementum satisfactionis, non formalem rationem satisfactionis. In prima hujus conclusionis parte communiter conveniunt Thomistæ, præter Medinam, et Zumel. Videri potest Cabrera in præsentis disputatione XIV, numero XXXIII; Alvarez disput. VII, concl. IV; Nazarius controversia V; Nugno II tomo, quæst. LXXXV, artic. III, dub. II; Bagnez I part. quæst. XXII, art. IV; Suarez in præsentis disputatione IV, sect. VIII; Cajetanus, Ferrariensis, Soto, aliique ab omnibus citati.

XVIII. Et convincitur hoc videri aperte ipsis testimoniis S. Thomæ, nam loquens de satisfactione pro peccato secundum rationem culpæ, non quantum ad pœnam ex peccato relictam (ut aliqui falso interpretantur.) Nam in IV, distinct. XV, quæst. I, art. II, ubi inquit, quod non potest

homo satisfacere si satis æqualitatem quantitatis importet, contingit autem si æqualitatem proportionis importet, et hoc sicut sufficit ad rationem justitiæ, ita ad rationem satisfactionis, ut solutione ad primum ostenditur, quod hæc satisfactio sit formaliter pro culpa, ut offensa est, sic dicit: « Quidam dicunt quod peccatum habet infinitatem ex parte aversionis, et sic gratis dimittitur; sed ex parte conversionis finita est, et sic pro ea satisfieri potest. Sed hoc nihil est, quia satisfactio non respondet peccato, nisi secundum quod est offensa Dei, quod non habet ex parte conversionis, sed ex parte aversionis: » ergo secundum D. Thomam, pro ipsa ratione offensæ, et non solum pro pœna debet dari satisfactio pœnitentiæ, quæ sit solum ex imperfecta justitia.

XIX. Præterea dicit S. Thomas, quod pœnitentia est pars justitiæ, et sub justitia continetur sicut pars potentialis, non minus quam religio, ut patet in IV, distinct. XIV, quæst. I, artic. I, quæstiuncula V, et in tertia parte, quæst. LXXXV, artic. III, ubi apertissime ponit emendationem peccati, quam pœnitens exhibet Deo habere rationem commutationis, et justitiæ. Et sicut religio offert cultum Deo non quidem æqualem, sed aliqualem, ita et pœnitentia aliqualem offert compensationem; alias si nec perfecte satisfaceret secundum justitiam, neque perfecte, neque imperfecte esset species, et pars potentialis justitiæ, quod negat sanctus doctor.

XX. Denique I part. quæst. XXI, artic. IV ad primum: « In justificatione, inquit, impii apparet justitia dum culpam relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit, » sed præsertim videndus est doctor sanctus, quæstione XXVIII de veritate, artic. I

ad octavum: « In remissione, inquit, peccatorum aliqua justitia servatur secundum quod omnes viæ sunt misericordia, et veritas, præcipue quidem ex parte Dei, in quantum remittendo peccata facit, quod Deum decet. Aliquo etiam modo, sed non sufficienter apparet justitia ex parte ejus cui peccatum remittitur, in quantum in eo aliqua dispositio ad gratiam reperitur, licet insufficientis. »

XXI. Totum autem fundamentum pendet ex his principiis, quod per contritionem offertur Deo in recompensam peccati aliquid habens proportionem cum offensa, etsi non æqualitatem, scilicet aliquid supernaturali offert aliquid, quod ante peccatum non offerebat, scilicet dolorem, et pœnam pro peccato. Pœna autem pro peccato assumpta præsertim voluntaria, ordinem recompensandi dicit, quia ex natura rei, culpa per pœnam recompensatur satisfaciendo: ergo si voluntarie assumat illam satisfaciet. Item ad imperfectam satisfactionem sufficit, quod offeratur aliquid, quod sit sufficiens ex acceptione creditoris, licet non ex æquivalenti valore; et hac ratione videmus, quod per religionem redditur Deo debitum secundum justitiam imperfectam, licet non reddatur æquale.

XXII. Ex his ergo principiis aperte colligitur, quod in actu pœnitentiæ debet concurrere satisfactio sufficiens ad imperfectam justitiam, et satisfactionem amicabilem, itaque acceptio creditoris non cadit super aliquid nullam habens proportionem cum offensa, sicut si Deus pascisceretur, quod propter opus mere naturale vellet remittere peccatum, tunc enim talis remissio esset pure gratuita, ita quod nullam rationem justitiæ etiam imperfectæ haberet, sed esset mere condonatio

extrinseca; unde si hic non invenitur imperfecta justitia, non relinquitur aliquis locus inveniendi illam, quam tamen dari S. Thomas fatetur in præsentī articulo II ad primum.

XXIII. In secunda autem parte, ex qua magis pendet explicatio fundamenti primæ partis, variant Thomistæ. Quidam enim ut magister Alvarez citatus, et Nazarius tenet quod contritio satisfacit, ut est formata gratia; sed magister Cabrera, Nugno, et ex parte Nazarius conveniunt in nostra conclusione. Et mihi videtur eam colligi ex ultima auctoritate adducta ex D. Thoma quæst. XXVIII de veritate. Illa enim verba ultima, si bene ponderentur, habent hanc efficaciam: « Aliquo modo, sed non sufficienter apparet justitia ex parte ejus, cui peccatum remittitur, in quantum in eo aliqua dispositio ad gratiam reperitur, sed non sufficiens: » ergo dispositio, ut antecedit remissionem, fundat aliquam justitiam, et consequenter ut antecedit gratiam per quam fit remissio. Et hoc significavit ly dispositio ad gratiam, id est, non ut a gratia procedit, sed ut ad gratiam tendit. Et præsertim in sententia D. Thomæ, qui eadem quæstione XXVIII, artic. VII ad tertium, in secundo loco positum, ut supra retulimus, dicit: « Quod contritio ut procedit a libero arbitrio, est dispositio ad gratiam, et secundum quod est a gratia comparatur ut actus secundus ad gratiam. » Hic autem dicit: « Quod in quantum est in homine dispositio ad gratiam fundatur illa justitia imperfecta. » Ergo loquitur de contritione, non ut est a gratia; sic enim est actus secundus ipsius, ut docet S. Thomas, sed ut antecedit gratiam, quia sic est dispositio ad eam.

XXIV. Fundamentum primæ sententiæ est, quia contritio ad hoc, ut

sit satisfactio, requirit valorem actus, quem offerat pro satisfactione, et quod persona offerens, sit grata, et accepta Deo, quia si non est ei accepta, nihil justitiæ potest fundare ad Deum; utrumque autem habet a gratia habituali, sine qua caret valore intrinseco, quem habet ex participatione gratiæ, et persona non est accepta Deo. Et inde deducuntur alia inconvenientia. Quia prout antecedit gratiam non habet jus meriti respectu gratiæ, etiam de congruo; ergo neque satisfactionis; et quia alias ipsa remissio peccati non fieret omnino gratis, sed ex aliqua justitia, quam antecederet haberet homo ex vi contritionis, et sic infusio gratiæ supponeret Deum pacatum, et contentum saltem ex vi satisfactionis oblatae. Ac denique, quia contritio expellit peccatum effective, tam moraliter, quam physice; ergo pro illo priori peccatum est expulsum passive antequam adveniat gratia, et remissio peccati.

XXV. Fundamentum autem alterius sententiæ est ex opposito, quia contritio, ut subsequitur gratiam, supponit gratia in subjecto, et consequenter peccatum remissum; ergo jam non supponit debitum in subjecto; ergo prout sic non satisfacit in eodem ad remissionem peccati, sed si satisfacit est ex superabundantia; sicut per totam vitam postquam homo est in gratia, potest plures, ac plures contritionis actus elicere, qui satisfactorii sunt, licet jam peccatum sit remissum; ut ergo salvetur, quod contritio aliquando satisfacit pro ipso peccato in ordine ad ejus expulsionem, et remissionem, oportet quod non supponat peccatum remissum, et gratiam infusam, quia satisfactio de se non fundatur in amicitia præsupposita, sed tendit ad amicitiam faciendam, et recon-

ciliandum personas; ergo non fundatur ejus valor in amicitia elicente, sed determinante actus contritionis, quia ad hoc fit, ut reconciliatio compleatur; non ergo satisfacit ut formata per gratiam, et amicitiam, sed ut egreditur ab auxilio, et terminatur ad conciliandam gratiam, quam habet in eodem instanti.

XXVI. Nec sufficit solutio Alvarez, quod quando infunditur gratia solum tollitur peccatum, ut macula est; ut autem est injuria non tollitur tunc formaliter sed radicaliter: formaliter tollitur per contritionem subsequentem gratiam, quatenus tollit inæqualitatem. Contra hoc enim est, nam gratia non solum radicaliter, sed formaliter tollit rationem injuriæ, quia non solum habet pro effectu formali physico delere maculam, sed etiam moraliter tollere rationem offensæ, et dare remissionem injuriæ; alias non perfecte, et simpliciter justificaret per formam intrinsecam, ut dicit Concilium sess. VI, cap. VII: ergo omni alio remoto tollit formaliter omnem rationem injuriæ, quia non manet simpliciter homo justificatus, et amicus nisi tollatur peccatum, etiam moraliter in ratione injuriæ, et non solum in ratione maculæ. Et patet evidenter in justificatione parvuli, in quo non solum ratio maculæ, sed etiam ratio injuriæ tollitur formaliter; alias maneret adhuc parvulus baptizatus inimicus Dei moraliter, et offensus illi, contra illud Pauli Rom. VIII: *Nihil damnationis est in his, qui sunt in Christo Jesu*. Esset autem aliquid damnationis, si non esset ratio injuriæ remissa formaliter, ita ut formaliter non essent offensi Deo, et non solum radicaliter: ergo cum in eis non sit alia forma tollens peccatum in ratione injuriæ, nisi gratia, oportet dicere, quod ipsa est de

se sufficiens forma ad tollendum formaliter rationem injuriæ, et non solum radicaliter.

XXVII. Cum autem sit valde absurdum, quod forma justificans aliter justificet in parvulis, quam in adultis, consequenter etiam in adultis, fatendum est, tolli rationem formaliter injuriæ, et non solum radicaliter per ipsam gratiam justificantem. Cum enim gratia sit effectus dilectionis Dei gratuiti, qua diligit nos, non potest non secum afferre remissionem peccati, quæ ex tali dilectione resultat: relinquitur ergo quod contritio, ut posterior ipsa gratia, et ad illam consecuta, non tollat peccatum formaliter, quantum ad rationem injuriæ satisfaciendo, quia jam invenit peccatum formaliter remissum, et debitum sublatum, et consequenter si satisfaciendo tollit, ut antecedit gratiam, satisfacit.

XXVIII. Et ad fundamentum oppositæ sententiæ responderi potest. Ad primum, quod satisfactio requirit valorem actus, et quod persona sit grata, sed non omnem valorem, cum sit satisfactio imperfecta, nec quod omni modo, et consideratione sit grata: sed contritio, ut antecedit gratiam, habet valorem supernaturalis dispositivum ad gratiam, licet non formatum a gratia, et ita minorem valorem habet, quam quando est formata; non tamen nullum habet valorem cum supernaturalitatem habeat ab auxilio. Et ita fatemur, quod ut procedit a gratia, habet plus valoris, quam ante formationem; aliquem tamen valorem habet etiam ante. Similiter ad satisfactionem istam requiritur, quod persona sit grata Deo, non quidem elicitive, sed sufficit quod terminative, id est, quod satisfactio terminetur ad hoc, ut homo habeat gratiam; ad hoc enim tendit, et ad hoc disponit, ut reconcilietur homo

Deo, et hoc habet in eodem instanti a parte rei; non tamen requiritur, quod procedat a gratia, ut a principio elicente, et formante ob rationes dictas.

XXIX. Et quando instatur, quod persona, quæ non est grata, non fundat jus aliquod respectu Dei; ergo neque aliquam justitiam, etiam imperfectam, quia jus et justitia idem sunt, respondetur quod satisfaciens imperfecte non fundat aliquod jus, sed potius disponit, ut Deus cedat juri quod habet contra hominem in quantum læsus est; unde simpliciter non tollit jus. Et ad consequentiam: ergo neque fundat, seu importat justitiam, distinguo; justitiam fundatam in aliquo jure creaturæ, concedo; justitiam fundatam in aliqua dispositione, ut Deus tollat jus suum, et cedat illi, nego. Itaque satisfactio parte offendentis non supponit jus, sicut meritum ex parte merentis (ut mox dicetur) non supponit jus ex parte personæ offensæ, unde satisfaciens perfecte intendit per æqualitatem tollere jus, quod habet offensus; et satisfaciens imperfecte intendit disponere ut offensus cedat juri suo, et remittat offensam, saltem aliquid offerendo. Ad hoc autem non supponitur, quod persona sit grata, nisi in quantum gratia dat valorem actui, ut oblatu ipso offenso velit placari, et juri suo cedere. Si ergo ante gratiam actus habeat valorem, etsi non tantum, quantum a gratia, jam aliquid offert Deo, quo disponat, ut cedat ipse juri suo, et consequenter jam satisfacit ex justitia imperfecta, non fundando jus, sed disponendo ut alter cedat juri suo. Unde satisfactio non facit hominem dignum, ut sibi remittatur injuria, sicut meritum facit dignum, ut sibi detur præmium; sed si satisfactio est perfecta, recompensat injuriam, et non facit

ita dignum, ut sibi remittatur, sed ut deleatur, et totaliter recompensetur. Si autem sit imperfecta, non reddit dignum, quasi jus habentem, ut sibi remittatur; sed depositum, ut velit Deus cedere juri suo, et hæc est justitia imperfecta, et secundum quid; quæ non recompensative aliquid offert; sed dispositiva, ut Deus gratis remittat, et cedat juri suo.

XXX. Et hinc patet ad secundum fundamentum ex pluribus inconvenientibus. Ad primum inconvenientiens dico, quod contritio, ut antecedit gratiam, non habet jus meriti, etiam de congruo ad ipsam gratiam, bene tamen satisfactionis, quia omne meritum supponit dignitatem ex parte personæ, tamquam principium meriti: satisfactio autem non supponit amicitiam, sed tendit ad illam conciliandam. Et ad satisfactionem imperfectam sufficit dignitas aliqua ex parte actus; ad perfectam vero etiam ex parte personæ, secundum quod ex illa refunditur in actum, ut dicemus disputatione sequenti.

XXXI. Ratio autem horum est, quia meritum importat jus in ordine ad retributionem faciendam per justitiam distributivam, quæ respicit dignitatem personarum, quia secundum proportionem personæ ad præmium reddit illud. Unde si persona est omnino indigna, nullum jus fundat, nisi ut excludatur a beneficiis distribuendis, neque de congruo, neque de condigno, quia nec habet jus, ut sibi detur per meritum præmii, quod est condignum, neque per meritum beneficii, quod est congruum. Cæterum cum satisfactio non respiciat ordinem justitiæ distributiæ, sed commutativæ, quantum est ex se, non fundat jus suum in dignitate personæ, nisi secundum quod illa requiritur ad valorem actus suffi-

cientis: sicut si est satisfactio injuriæ oportet, quod quanto excellentior persona humiliata est per injuriam, tanto excellentior humilietur per satisfactionem. Intendit ergo satisfactio jus creditoris extinguere, non jus ad illum fundare. Hoc autem perfecte extinguitur per recompensationem totalem; imperfecte autem jus per recompensationem partialem reddendo partem debiti, quam potest, vel disponendo, ut creditor totum remittat. Per contritionem ergo non fit recompensatio debita, nec tollitur pars debiti, sed disponitur homo, ut Deus illi omne debitum remittat; juxta illud Matth. xviii: *Serve nequam, omne debitum remisi tibi quoniam rogasti me*, ubi non pars debiti dicitur remissa, sed totum; et hoc qui rogavit rogatione pœnitentiæ, de qua in præsentem loquebatur, et ita potest fundare rationem satisfactiois imperfecte, et dispositiva, non vero rationem meriti.

XXXII. Ad secundum inconvenientiens respondetur, quod remissio peccati fit omnino gratis, si ly omnino excludat rationem meriti, et justitiæ; non tamen si excludat omnem dispositionem, ad hoc ut creditor cedat juri suo, quæ dispositiva dicitur justitia. Etenim quando Apostolus ait: *Justificari hominem gratis*, non possumus meliorem intelligentiam accipere, quam quæ ab ipsa Ecclesia traditur in Concilio Tridentino sess. vi, cap. viii, ubi dicitur: «Perpetuum Ecclesiæ consensum hoc tenuisse, ut gratis dicamur justificari, ideo quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.» Si ergo satisfactio illa, et justitia imperfecta, quam ponimus in contritione ante infusionem gratiæ, non fundat jus meriti, sed solum disponit hominem, ut creditor cedat juri, plane

ex sensu perpetuo catholicæ Ecclesiæ, non adversatur hoc justificationi gratis factæ, juxta Apostolum; aperte enim stat, quod fiat gratis, quia satisfactio illa talis est et tam insufficientis, ut ipse creditor nullatenus obligetur ad dimittendum debitum, sed solum aliqua proportio est ex parte ejus, qui disponitur, ut velit remittere gratis; nam et ipse dicit: *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me*; ergo hoc quod offerebatur, dispositio quædam fuit, et nihil debiti destruxit. Et ex hoc sequitur, quod satisfactio ut antecedit gratiam, non reddit hominem Deo pacatum formaliter, sed dispositiva, terminatur autem ad gratiam, qua redditur homo pacatus perfecte, et formaliter, ex parte hominis.

XXXIII. Sed dices: Hoc ipso quod aliquis satisfacit, et tollit jus alterius, hoc ipso acquirit jus, ne alter ab eo exigat satisfactionem; ergo hoc ipso est dignus remissione; ergo satisfaciens imperfecte, est dignus remissione, saltem secundum jus imperfectum, et eo modo, quo meritum de congruo acquirit aliquod jus merenti.

XXXIV. Respondetur, quod proprie loquendo, qui satisfacit etiam perfecte, non dicitur acquirere jus, ne alter exigat ab eo, sed proprie extinguit jus creditoris solvendo illi; ipse autem debitor solutus debito, non acquirit jus contra illum, sed manet, solutus, sicut antequam debitum contraheret: tunc autem non dicebatur habere proprie jus, ne alter ab eo exigere: proprie enim non est jus ad istam negationem, sic enim habet unusquisque respectu omnium hominum, qui sunt in mundo sibi ignoti, ne ab eo exigant, quod non debet, quod non est jus proprie. Itaque solvens creditori extinguitur jus, alias non proprie acquirit jus, et est dignus, non

ut sibi remittat injuriam, sed ne exigat debitum. At vero, qui imperfecte satisfacit, nullum jus etiam imperfectum acquirit, ut alter sibi faciat gratiam remissionis, quia respectu ejus, pro quo non offert æqualem satisfactionem, nihil juris extinguit ex parte creditoris, et consequenter nihil juris in se acquirit, quia jus satisfaciens (si quod est) resultat ex extinctione debiti apud creditorem; unde solum est dispositivus, et proportionatus aliquo modo, ut alter sibi faciat gratiam, non ut jure reddatur.

XXXV. Aliud est de merito etiam congruo, quia meritum non respicit extinctionem juris creditoris, sed retributionem præmii, vel beneficii propter condignitatem merentis, aut quasi condignitatem, et ideo habet jus, ut distributor sibi reddat mercedem, seu debitum meriti, ordinaturque hoc ad bonum merentis, non ad bonum creditoris, sicut satisfactio, quæ tale jus non inducit contra creditorem. Unde manet solum argumentum, quod magister Nugno nimis difficile reputat, scilicet, quia satisfactio, etsi non reddat dignum, ut sibi aliquid conferatur, bene tamen ut sibi remittatur offensa, quia ad hoc tendit essentialiter: constat enim ex dictis, id non esse necessarium, quia hoc non facit satisfactio, nisi in quantum jus creditoris extinguit; si autem non extinguat illud, non reddit hominem dignum remissione per aliquod jus, sed dispositum, ut sibi fiat gratia, et hoc est imperfecta justitia dispositive, ut dictum est.

XXXVI. Ad tertium inconueniens respondetur, quod ea difficultas pertinet ad materiam de pœnitentia, quo modo pœnitentia expellat peccatum moraliter, et physice. Interim sufficiant verba S. Thomæ annotare III part. quæst. LXXXV, art. II,

in corpore ad tertium: « Quod pœnitentia expellit omne peccatum effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » Ubi nota, quod peccatum opponitur multis, et ideo etiam a multis expellitur, ab unoquoque in suo genere: sicut forma aliqua, quæ corrumpitur, potest a multis efficientibus expelli, sicut et opposita produci, verbi gratia, peccatum injustitiæ opponitur gratiæ, ut tollenti rationem maculæ, et aversionis habitualis; charitati ratione finis ultimi, ad quem justitia ordinabatur; justitiæ speciali, ex parte suæ speciei, et conversionis ad objectum oppositum justitiæ; pœnitentiæ secundum quod dicit injuriam Dei, quam recompensare intendit pœnitentia eo modo, quod potest. Et ideo omnia ista concurrunt ad expellendum peccatum, sed non quodlibet eorum adæquate expellit, et complete, sed in suo genere, et incomplete; unde ex eo quod expellatur ab uno, non sequitur, quod est expulsum peccatum absolute, sed secundum quid, et ex parte. Sicut ergo quando sol, et homo generant hominem, sol non generat absolute, sed sub ratione corporis; homo vero sub ratione hominis, et causæ univoce: sic quando dicit sanctus doctor: « Quod pœnitentia expellit effective, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante, » designat aperte rationem formalem sub qua pœnitentia attingit peccati expulsionem, scilicet. « In quantum est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. » Est autem remissibile ratione injuriæ, et quia injuria etiam per gratiam tollitur formaliter, non sub quacunque ratione attingitur a pœnitentia, sed ut remissibile est ex divina gratia homine cooperante, id est,

## ARTICULUS IV.

*Utrum homo justus possit pro veniali peccato satisfacere ad æqualitatem?*

homine aliquo modo satisfaciente, et conante ex se. Quare posito eo conatu, ante infusionem gratiæ, non perfecte peccatum est expulsum, sed tantum dispositive, et inchoative; restatque adhuc expellendum formaliter, et complete per ipsam remissionem peccati secundum infusionem gratiæ.

XXXVII. Pœnitentia autem expellit ante gratiam moraliter satisfactive imperfecte, secundum quod est remissibile peccatum mediante aliqua cooperatione, id est, dispositione nostra; gratia autem secundum quod est remissibile complete, et absolute. Physice autem expellit peccatum, quatenus inæqualitatem causat impediens physicam formam, qua formaliter tollitur; sub illa enim formalitate inæqualitatis, et injustitiæ ad Deum, non tollitur peccatum a gratia, neque a charitate, aut alia virtute, quam a pœnitentia: non autem se habet contritio, seu actus pœnitentiæ, ut dispositio physica activa, et immediata ad formam, quæ ipsam formam active producat, aut uniat subjecto, cum hoc solum fiat a Deo physice, vel ab instrumento sacramentorum, sed se habet ut dispositio physica passiva, et quasi mediata. Sicut diaphaneitas se habet ad lucem, et rotunditas cœli ad motum circularem, quæ ita disponunt subjectum ad recipiendas formas, quod tamen non illas efficiendo attingunt, sed mediare debet aliud agens, quod lucem diffundat diaphano, aut motum cœlo; per se autem expellunt formam contrariam receptioni lucis. Sed de his alibi.

I. Ratio dubitandi pro parte negativa videtur sumi ex dictis. Nam per peccatum veniale fit vere, et proprie aliqua offensa, et injuria Deo, etsi imperfecta, et secundum quid; ergo læditur aliquod jus Dei: hoc autem jus est infinitum; ergo debet satisfieri ad æqualitatem per personam infinitam, sicut diximus de mortali peccato. Antecedens manifestum est, quia Deus habet jus, ut sit finis ultimus cujuscumque actus humani, non solum habitu, sed etiam actu; nam ad omnia illa habet jus, ad quæ se potest extendere causalitas finis ultimi; causalitas autem finis ultimi non solum nata est extendi ad actus humanos secundum habitum, sed etiam secundum actualem relationem ad se, ut patet in actibus bonis moralibus; ergo qui privat actum illa actuali relatione, et ordinatione ad Deum finem ultimum, privat eum aliquo jure, et facit illi aliquam injuriam; ergo non est ad æqualitatem reparabile per actum aliquem personæ finitæ, quia in his actibus persona illa non cedit juri suo aliquo respectu Dei, sed potius auget jus suum, et perficitur per hoc, quod contemnitur, et magis subjiciatur Deo.

II. Et confirmatur, quia Deus vere remittit peccatum veniale; nam per orationem dominicam petimus: *Dimitte nobis debita nostra*, in qua petitione peccata venialia includi, patres communiter docent et ex illis Thomistæ III part. quæst. LXXXVII; ergo habet peccatum veniale veram rationem injuriæ respectu Dei, alias non esset materia